Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1735
Quelle:
Copyright:

tes, cum tamen ſacer Juris tractatus de vita et honeſtate clericorum nobis ſacerdotibus ſtrictiſſime impoſita proch dolor non tenetur &c. Articulis XII. multa ad internum animi, externumque corporis cultum traduntur, quibus pauci hac aetate noſtra teneri vellent. Ubi de veſtitu agitur, legas: *Studeat et quiuis presbiter habere ſuum ornatum miſſalem id eſt veſtem qua ſacerdos in miſſis diuinis induitur, ſcilicet caſulam, humerale, ſtolam, manipulum, albam, cingulum in ſuo cubiculo recluſum, vt eis, cum hora defunctionis advenerit, continuo defunctus induatur et exequijs peractis in eodem deuote et honorifice ſepeliatur.* Mox *palliorum maſtrucas*, id eſt, Fartum, vult *agninas*. Ad calcem:

Si reperis plura, predictis addere cura.

2) *Incipit Prologus Anſelmi Archiepiſcopi in libro qui Elucidarius vocatur.* Jam ſaepius utroque *Vol.* relatus Dialogus *Diſcipuli* et *Magiſtri* perperam *Anſelmo* tributus, atque hic non niſi Fragmentum, quod inchoat: *Sepius rogatus a condiſcipulis* &c. et adhaeret in *Adami* lapſu.

3) Exemplum Executoriarum datarum a *Dominico* Ep. *Brixienſi Pauli* II. in Urbe Vicario 1469. ad duo Brevia ejusdem Pontificis anni 1465. quibus *Sixto Scharffenecker Scolari Dioec. Patav. Friderici Imp. dilecto* habilitas ad Beneficia ecclesiaſtica confertur. Directum eſt ad Epiſcopum et Capitulum *Paſſav.* et ad Abbatem et Conventum Monaſterii *Gottwicen.* ordinis *Ciſtercien.* ut prave Librarius pro *Benedictini.*

4) *Auree regule condendorum carminum ſiue ars poetica Horatij flacci.* Cum Gloſſis et Notis hominis *Germani;* adponit enim ad *male tornatos treen*, ad *merulis intentus Ampſel.* Notae didacticae non carent judicio; hiſtoricae vero ſaepe claudicant. Ita ad illud: *Aemilium circa ludum faber imus* &c. legas: *Emilium locus erat, in quo quidam emilius gladiator reſidebat qui uocabatur ymus* &c. Adſcriptae erant eadem ratione *Perſii Satyrae*, ſed jam a *Sat.* I. v. 99. avulſae.

5) Philologica quaedam, puta *Franciſci Philelphi Epiſtola ad Sphortiam ſecundum, In qua negat duas linguas aput romanos fuiſſe: uti leonhardus affirmat.* Eſt haec in Editis *Libro* IX. n. 6. *Leonhardum Brunum Aretinum* intellige. Dein *Jacobi* (Locher) *Philomuſi* Vale Auditoribus ſuis dictum, Epiſtola item ad *Joh. Stamler Auguſtenſem* data *ex Tubingen 6. Id. Septembr.* cum inſertis Verſibus, quibus acriter perſtringitur *Joh. Lufptich*, qui, *cum inepte vitioſeque in publico auditorio Morgatium ſeu Morganaticum* (ICtorum vocabulum a germ. *Morgengabe*, ſeu Dono, quod Maritus poſtridie nuptiarum Uxori fert) *diceret, nitebatur contra doctiſſimorum Virorum teſtimonia*

id